

habet Solinus cap. 7. Hæc pariter Christi natiuitatem, passionem, mortem, resurrectionem, & iudicium finale enuntiavit, & ejus sunt carmina sequentia:

*Cerno Dei natum, qui dimisit ab alto  
Ultima felices referent cum tempore soles;  
Hebræa quem Virgo foetæ de stirpe decora,  
In terris multum tenoris passurus ab annis.  
Magnus erit tamen hic divino carmine Vates.  
Virgine Matre satur prudenti peccore verax.  
Et allis carminibus omisit, subdit:  
Judicii in signum, tellus sudore madescet,  
Et Rex æternus summo descendet Olympo;  
Scilicet ut carnem, mundumque vindicet omnem:*

*Unde Deum fidi, dissidentesque videbunt,  
Summum cum Sanctis in seculi sine sedentem,  
Et hæc est Sibylla, de qua intelligit Ecclesia, dum  
in Sequentia Missæ Defunctorum canit:  
Dies ira, dies illa,  
Solvat seculum in favilla,  
Teste David cum Sibylla.*

29 *Cimmeria, sive Cumæa est tertia Sibylla; dicta etiam Italica, quia in Italia vaticinata est; oriunda ex Cimmerio Campaniæ oppido vicino Cumis. Floruit paulo post excidium Trojæ, videlicet circa 1170. annos ante Christum, & Æneæ tempore; siquidem fuit illa Deiphobe, quam Æneas consuluit apud Virgilium lib. 6. Æneid. De ea S. Iulianus Martyr in admonitorio ad gentes sic scribit: Gentiles Viri assentimini voculo huic, & antiquissime Sibyllæ; que supernò afflata oraculis, vos erudit, quod qui dicuntur Dii, non sunt. De Salvatoris autem nostri Jesu Christi adventu, & de his omnibus, que si facturus erat, manifestè pronuntiat, quorum notitia vobis necessaria est. Ipsa verò Cumæa Sibylla hæc inter cætera carmina de Christo edidit:*

*In teneris annis, facie præsignis honore,  
Militia æternæ Regem Sacra Virgo civabit  
Lactis suo; per quem gaudebunt peccore summo  
Omnia; & Eo lucebit Sydas ab orbe  
Mirificum, sua dona Magi cum laude ferentis,  
Obijciant Puro Myrrham, Aurum, Thura Sabæa.*

30 *Samia Sibylla quarta est, & nominata fuit Pitio; ortum enim habuit in Insula Samos Maris Egei, & de ea meminit Ælianus lib. 12. Var. Histor. Plura prædixit de Redemptore, & præsertim ejus ingressum cum Palmis olivarum in Jerusalem his verbis:*

*Salve casta Syon, permultaque passa Puella,  
Ipse Tibi insensio Rex en tuus intrat Afello.  
Erga omnes mitis iuga tibi quo iuga demat.  
Intoleranda tibi, que fers cervicæ subasta.*

31 *Cumana quinta Sibylla fuit, vocata Amalthea, ac etiam Demophile; nata est Cumæ, quæ est urbs Asiæ minoris in Eolide, & in ora sinus Smyrnæi, quæ nunc dicitur Foja nuova. Hæc libros oraculorum detulit ad Tarquinium superbum, petens pro illorum pretio tercentos Philipeos, ut scribit Solinus cap. 7. & Tholofanus d. libr. 18. cap. 7. num. 9. Sed Rex ille bis in ignem proiecit tertiam partem illorum librorum; pro reliqua autem tertia parte, admiratus Sibyllæ constantiam in petendis trecentis aureis; illos exburfare fecit, ipsaque Sibyllina oracula mandavit fideliter custodiri. Hanc Sibyllam Cumanam prophetasse Incarnationem Verbi Divini testantur hæc ejus Carmina:*

*Tunc ad mortales venit a mortalibus ipsis  
In Terris similis natus Patri Omnipotentis,  
Corpore vestitus, &c.*

Et de eadem agit etiam Beda in libr. 1. Commentar. in Luc.

33 *Hellepontica fuit Sexta Sibylla, nata in vico*

Marmisso agri Trojani. Ejus nomen ignoratur; vidisse tamen fertur temporibus Solonis Philosophi, ac Magni Regis Cyri. Hæc denuntiativæ, & doctrina Salvatoris ita cecinit:

*Cum meditor quondam vidi decorare Puellam,  
Eximio cassam que se servaret honore  
Munere digna suo, & divino nomine visa,  
Que sobolem multo pareret splendore micantem.  
Progenies Summi, speciosa, & vera Tonantis,  
Pacifica mundum qui sub ditone gubernet.*

Et post alia plura:  
*Ille Dei legem complebit, non violabit,  
Perfinitem formam referens, & cuncta docet.*

Libica Sibylla fuit septima, cujus nomen nescitur, de qua Euripides in Lamie prologo. Vixit ante Olympiadem 80. id est ante Christum annis circiter 480. Ab ipsa prænuntiata sunt miracula Christi verbis istis:

*Ille quidem morbis pressos sanabit, & omnes  
Læso, quotquot ei fidem, & cæcique videbunt.  
Incedent claudi. Surdis autem licebit.  
Insolitas muris dabitur formæ loquelæ.  
Expellet furias. Oppressi morte resurgent.*

Perfica fuit octava; quæ etiam Babylonica, & 34 Chaldaica Sibylla nuncupata fuit, & ejus Pater Berolus. Floruit sub Alexandro Magno circa Olympiadem 120. ut ex Nicandro de gestis Alexandri Magni colligitur. Et quia in libr. 24. multa de Christo cecinit, sicut & Cumæa, id est S. Iulianus in Parenetico ad gentes putavit hæc in Italiam, eandemque cum Cumæa fuisse. Hæc prædixit prædicationem, & baptismum Præcursoris Christi, de quo ait:

*Tunc quoque vox quedam venit per deserta locorum,  
Nuntia mortales misericors, que clamet ad omnes.*

*Ut relictos faciant calles, animosque resurgent  
A vitis, & aquis perulserint corpora mundis.*

Phrygia nona Sibylla fuit, quæ prophetavit 35 Ancyre; hæc Civitas est in Asia minore. De ejus nomine, ac tempore memoria non extat. Mortem Salvatoris vaticinata est his carminibus:

*Scindetur Templi velum, mediumque diis,  
Nox tenebrosa tribus premet admirabilis horis.  
Et tridui somno peraget mortalis fata.*

Tiburtina decima Sibylla est, nata Tibure, di- 36 stante ab Urbe Roma milliariibus sexdecim. Tempus ipsius ignotum remanet; ac ejus nomen fuit Alibunea; & hæc in Spiritu vidit, & prænuntiavit Christi Resurrectionem, & Ascensionem in cælestis hinc metris:

*Sed postquam triduo lucem reperideris, atque  
Monstravit somnum mortalibus; atque docendo  
Cuncta illustravit, caelestia teia subivit,  
Nubibus incedens, &c.*

Hæc sunt decem Sibyllæ, de quibus tamantiqui, quam moderni, tam Sacri, quam profani Auctores memorantur, quos congerit Tholofanus in d. Synagm. Jur. Univ. libr. 18. cap. 6. num. 9. & 10. 37 ubi hæc habet: Conseroabantur autem Romæ summa cum veneratione libri Sibyllini, qui magis in negotiis consultabantur; veluti quando contra Volscos bello moto, Romæ laboratum est vitium inopia, & magnus metus fuit, ne in totum descheret, terra fructus negante. Sub Claudio quoque, quo tempore Marcoman cuncta vastabant. Sub Galieno pro pestilentia scandanda. Et sepius aliis quoque temporibus.

Sed & illud notabile est, quod adverte Salianus 38 ad Ann. Mundi 4041. & ante Nativitatem Christi 12. videlicet, Cæsarem Augustum libros Sibyllinos magna diligentia recognovit, sub publica custodia servandos repositisse; subdens idem Auctor; Id factum

## SUMMARIUM.

factum ab Augusto non sine Divina providentia, jam olim notatum est ab antiquis Patribus, ut Christiani in libris Sibyllinis, ab ipso Augusto Cæsare repurgatis, & recognitis, fidem Christianam apud Ethnicos majori cum fide stabilire possent. Cumque Sancti Episcopi, & alii Prædicatorum Evangelici uterentur iisdem Sibyllarum libris ad gentes suadendos de veritate fidei Christianæ, prohibita fuit à Tyrannis eorumdem librorum lectio sub pœna mortis; de qua se conqueritur S. Iulianus Martyr in secunda Apologia pro Christianis ad Antoninum Imperatorem, dicens: Opera malorum gentium mors constituta, & definita est in eos, qui Hystaspis, vel Sibyllæ, vel Prophetarum, vatumque libros legunt, ut metu homines, qui legunt, abducant ab eo, ne bonarum rerum cogitationem accipiant, sibi autem servos eos detineant, quod quidem tandem perficere minime poterunt. Non solum enim sine metu eos legimus, sed vobis quoque, ut videtis, considerandos offerimus. Quod narrando prosequitur Menochius in Storeis centuria prima cap. 49. & Segnerius nell' Incredulo serza c. 1. part. 2. cap. 17. num. 14.

Tandem sunt qui addunt antedictis decem Sibyllis Undecimam, quam Europæam appellant, sic de Messia locutam: Veniet ille, & transit montes, & colles, & latice: Sydonum Olympi. Regnabit in paupertate, & dominabitur in silentio, & egredietur de utero Virginis. Ac etiam Duodecimam, quam nominant Ægyptiam, de cujus vaticinio hæc verba sunt: Invisibile Verbum palpabitur, & germinabit ut radix, & succabitur ut folium, & non apparebit venustas ejus, & circumdabitur alvus materna, & sicut Deus lætitia sempiterna, & ab hominibus conculesbitur, & nascetur ex matre ut Deus, & conversabitur ut peccator. Ita Proprium Hicætorum d. Verbi Sibylla. Et hæc satis sint de vaticiniis, Revelationibus, atque Prophetiis, quas Deus voluit tot ante sæcula prænuntiari de venturo Messia, & Redemptore nostro JESU CHR JSTO, etiam per mulieres; ac sicut nullum sexum, nullumque ordinem personarum constaret caruisse hæc gratia gratis data, ita omnes gentes scirent, eas consequi posse gratiam justificationem per fidem in Christum, & exercitium bonorum operum, ut differit Barradas in Evang. d. tom. 1. libr. 3. cap. 55. ubi Sanctorum Patrum sententias de hoc argumento transcribit.

## DECISIO XXVII.

## ARGUMENTUM.

De Sacrificiis Hebræorum. De Victimis quadrupedibus, Volucris, & rebus inanimatis, quæ ab eis litabantur. De Holocausto, Hostiis pacificis, & pro peccato, immolationibus, libaminibus, & iuge Sacrificio. De Festis Hebræicis, & de Sacrificiis præscriptis in quocumque die festo. De Sacrificiis secundum varietatem personarum, quarum intuitu offerbantur; & præcipue pro consecratione Sacerdotum, & Nazaræorum, expiatione leproforum, & laborantium legalibus immunditiis. De Mulieribus menstruatis, & de diversitate mensurum. De Sacrificio Zelotypiæ, Vaccæ Rufæ, & Vitulæ pro homicidio occulto. De Ritibus, caeremoniis, atque causis totius Liturgiæ Legis Mosaicæ. Atque de Sacrificiis pro Defunctis.

- 1 Sacrificia Hebræorum analogiam habebant cum conviviis hominum. Et cur?
- 2 Eucharistia in ultima cæna Christi fuit Epulum, & Sacrificium?
- 3 Gentiles sacrificabant inter convivia.
- 4 Altare Sacrificiorum cur vocetur Mensa Domini?
- 5 Fermentum, ac Mel semper vitium in Sacrificiis Aaronicis.
- 6 Victimæ immolande carere debebant omni defectu.
- 7 Mel nocivum stomacho.
- 8 Mel à Gentilibus offerbatur Baccho.
- 9 Sacrificiorum Legis Mosaicæ genera quinque.
- 10 Victimæ apud Hebræos alie animatæ, & alie inanimatæ.
- 11 Victimarum animam habentium pro Sacrificiis Hebræorum species quinque.
- 12 Victimæ, quas Hebræi sacrificabant, figurabant virtutes Christi.
- 13 Piscis cur Deus noluerit sibi sacrificari?
- 14 Monachus extra cellam est piscis extra aquam.
- 15 Passeris occiso in expiatione Leprosi non erat Sacrificium.
- 16 Victimæ inanimatæ quænam essent in Sacrificiis Hebræorum?
- 17 Finis quadruplex in Hebræicis Sacrificiis, & quibusnam?
- 18 Differentia inter peccatum, & delictum.
- 19 Holocaustum quid esset?
- 20 Holocausti Victimæ debebat esse masculini sexus.
- 21 Tabernaculi, atque Templi tres erant partes.
- 22 Laici apud Hebræos utrum accessum haberent ad Altare Holocaustatum?
- 23 Pacifica Hostia quæ, & quotuplex?
- 24 Pacifica Hostia dividebatur in tres partes. Et quomodo?
- 25 Adipem animalium an Hebræi possent comedere? & num. 27.
- 26 Sanguinem animalium comedere cur prohibitum primitivis Christianis per Apostolos?
- 28 Turtures, & Columbe non litabantur pro hostia pacifica. Et cur?
- 29 Hostia pro peccato, seu delicto quænam esset?
- 30 Hostia pro peccato quæ cederent in esum Sacerdotum; & quæ non?
- 31 Boves veteres quatuor, vel quinque annorum ab Hebræis non immolabantur.
- 32 Ritus jugulandi, & mactandi Victimam apud Hebræos.
- 33 Victimæ non indivisa, sed secla in frustra comburebatur in Sacrificio Holocausti.
- 34 Odor an ingratus esset ex combustione Victimarum?
- 35 Aves ab Hebræis quomodo immolarentur?
- 36 Minchâ adhibebatur semper in Sacrificio Holocausti, & quid esset?
- 37 Similia, vel panis aliquando solus offerbatur in Sacrificio.
- 38 Ritus undecim, seu caeremonie in Litania Hostia pacifica.
- 39 Cauda victimæ quare comburenda in Sacrificio?
- 40 Ritus, ac caeremonie sex in Sacrificio pro peccato.
- 41 Ritus, & caeremonie in adolendo Thymiamate apud Hebræos.
- 42 Thymiamata adolebatur bis quotidie.
- 43 Iuge Sacrificium quodnam esset? & num. 47.
- 44 Iuge Sacrificium figurabat Sacrificium Missæ.
- 45 Festa Hebræorum alia ordinata erant a Deo, alia à Rabbiniis.



- 46 Fæta de Præcepto divino erant olio apud Hebræos. A Rabbinit alia sex instituta. Et que?
- 48 Sabbati Sacrificium quodnam esset?
- 49 Sabbati Hebræi non accendebant ignem, ut se calefactent, nec candelas domi, ut arderent.
- 50 Neomenia quid esset? Et quale Sacrificium in hoc festo?
- 51 Mensis ab Hebræis regulantur juxta cursum Lunæ.
- 52 Pascha Azymorum festum erat die 15. Mensis Martii apud Hebræos; Et Vespere antecedenti debebant Agnum Paschalem, cum Azymis.
- 53 Pascha Azymorum quodnam esset Sacrificium?
- 54 Manipulus spicarum quando, Et quomodo offerretur à Judæis?
- 55 Pentecostes festum quando erat? Et quale in eo Sacrificium?
- 56 Panes fermentati quomodo offerrebantur in die Pentecostes?
- 57 Tabarum festum, quando, Et qua de causa à Judæis celebratum? Et quales Victimæ in eo litate?
- 58 Expiationis festum, dicitur Kippurim quando fiebat? Et quale Sacrificium in eo? Cereemonie Pontificis hujus diei.
- 59 Herci emissarii funiculus coccineus an converteretur in album?
- 60 Scenopægie festum, idest Tabernaculorum, cur institutum? Qua die celebratum? Quibus Victimis sacrificium?
- 61 Cætus, seu Collectæ festum Judæorum celebratio, Et Sacrificia.
- 62 Silos aquam hauriebant Judæi in festo Cætus, seu Collectæ, Et quid esset Silos?
- 63 Fæta Hebræorum instituta à Rabbinit quanam essent? Et que Sacrificia fierent in eis?
- 64 Sacerdotum Sacrificia dum ipsi consecrarentur.
- 65 Nazæorum tria Sacrificia, Et que?
- 66 Infusa Ecclesiastica unde originem sumpsit?
- 67 Leprosorum Sacrificia in eorum expiatione, Et cereemonie in litando pro eis.
- 68 Immunditia legalis quinam essent? Et que Sacrificia pro eorum expiatione?
- 69 Immunditia Hebræorum duplex; Una peccaminosa; alia sine peccato.
- 70 Seminius erat immundus. Duplex fluxus semini.
- 71 Gonorrhæa duplex; Et ea laborans an possit petere debitum.
- 72 Menstruata Mulier erat immunda. Quid sint Menstrua?
- 73 Mulieres Hebræe fiebant immunde quadrupliciter, Et quomodo?
- 74 Coitu exercito ab Hebræis tenebantur totum corpus lavare; Et cur?
- 75 Hemorrhøissa mulier quale Sacrificium offerre debebat?
- 76 S. Martha soror Lazari an fuerit hemorrhøissa sanata à Redemptore? vel alia mulier?
- 77 Puerpera immunditia, expiatio, ac Sacrificium.
- 78 Depara nullam immunditiam legalem contraxerat.
- 79 Puerpera Christiana quanto tempore abstinere ab ingressu Ecclesie?
- 80 Regularis an in suis Ecclesiis possint recipere puerperas ad Purificationem?
- 81 Menstruorum puerperii, Et mensis differentia.
- 82 Menstruata mulieres an licite sumant Sacram Eucharistiam?
- 83 Zelotypie Sacrificium Ritus, Et Maledictiones in eo expendo.
- 84 Candentis ferri contritio ob purgationem à suspitione hosti olim adhibita, nunc prohibita.

- 85 Vaccæ Rufe mællatio, Et Aqua lustralis de cineribus ejus.
- 86 Aqua benedicta Christianorum delet venialia peccata.
- 87 Vitale mællatio in casu oculi homicidii.
- 88 Sanguinis fluxus à vulneribus occisi, præsertim homicida, an sit miraculosus? Et ex hoc an Judæi possint procedere ad Torturam, Et ad panam contra homicidam occultum?
- 89 Sacrificia pro Defunctis solita fieri apud Judæos.

Post traditam notitiam Pontificum, Sacerdotum, Levitarum, ac aliorum ministrorum Templi, cæterorumque Religiosorum Virorum, ac Mulierum, quomodolibet Divino cultui interventium in Lege Moisaica, convenit, ut Judaica Sacrificia, quæ erant in usu, tempore ejusdem Moisaicæ Legis, explicemus; ut deinceps ad Sacrosancti Missæ Sacrificii, quod in eis figuratum, & adumbratum fuerat, explanationem progrediamur; & celebriores Quæstiones, spectantes ad Sacrificium Missæ, quas discutendas propius Clero Patavino Anno 1690. discussas, & decisas offeramus.

Pro dicendorum autem notitia, hic sunt duo præmittenda. Unum est, quod Sacrificia habebant quandam Analogiam cum convivii; nam in eis quasi convivium apparabatur Deo, cuius vice ignis quasi à Deo immissus, ( prout etiam pluries de celo immissum fuisse Sacra Scriptura super Sacrificiistatut ) ipsum Sacrificium quasi convivium devorabat. Hinc veteres inter Epulas sacrificabant, ut patet de Judæis Exod. 12. ubi in ultima sua cæna, quam peregerunt in Ægypto, immolarunt, & comederunt Agnum Paschalem; & cum ultimo comasset Redemptor cum Apostolis, pridè scilicet, quam pateretur, instituit Sacrosanctam Eucharistiam, quæ fuit Epulum Sacrum, pariter & Sacrificium, ut dicitur Cornelius à Lapide Comment. in Genes. cap. 43. vers. 16. ubi ex Macrobio, Homero, & Virgilio addit, Gentiles quoque hæc habuisse consuetudinem sacrificandi inter convivia. Hac de causa Altare Sacrificiorum non semel in textu sacro appellatur Mensa Domini; ut Malacch. cap. 1. vers. 7. Et ad sacrificia non adhibebantur, nisi quæ in mensas hominum inferri solebant, nempe panis, similia, vinum, sal, oleum, & carnes, cum rebus odoriferis, veluti thure, & thymiamate. Et è contra à victimis immolandis separabantur, quæ ab hominibus in mensis minime ponuntur; & ab illis non manducantur, videlicet, pellicis, plumæ, illa, vesica fellis, & urinæ, nec non vesicula gutturis, quam Latini ingluviem vocant, ut doctè observat Titinus Commentar. in Levitic. cap. 1.

Alterum præmittendum est, quod in Hebræis Sacrificiis semper vetitum fuit fermentum, ac mel, juxta illud Levitici cap. 2. vers. 11. Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti, aut mellis adolebitur in Sacrificio. Et ratio erat circa fermentum; quia cum ex corruptione fiat, est Symbolum peccati; Deus autem non nisi sincera, integra, atque incorrupta sibi offerri volebat; & ideo Sacerdotes Aaronici solebant uti magna cautela in seruantis victimarum corporibus, antequam immolarentur, num in ipsis aliquid vel leve vitium deprehenderetur, teste Cornelio à Lapide in Levitic. cap. 1. vers. 2. in fin. & Torniello ad Annum Mundi 2545. num. 20. ad innuendum, quod corda nostra, quæ Deo offeruntur, ut ei sint accepta, debent esse sine macula peccati, juxta illud Apostoli 1. Cor. 5. 7. Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Azymus enim panis est purior, & significat animæ puritatem, præterquam quod erat rememorativum Hebræis liberationis suæ ab Ægypto,

quo, quando ob festinationem usi sunt azymis. Exod. 12. 34. Mel quomodo erat proscriptum in Sacrificiis; nam mel coctum contrahit acorem, & panem, cui miscetur, fermentat: est nocivum stomacho, quia flatulentum existit, & auget bilem; præcipue autem est symbolum voluptatum, & deliciarum, quæ Deus abhorret; cui grata est penitentia: Sacrificium enim Deo spiritus contribulatus. Psalm. 50. 19. Et qui voluit mysteriorum Dei esse participes, debent se retrahere à blandimentis deliciarum, & à dulcedine voluptatum; ut advertit Cornelius à Lapide in Levitic. dist. capit. 2. vers. 11. ubi aliam reddit rationem, qua vetitum erat Judæis offerre mel in Sacrificio; videlicet, quia etiam Gentiles illud offerrebant Baccho; de quo canit Ovidius lib. 3. Fæhor.

Liba Deo sunt, succis quæ dulcibus ille Gaudet; Et à Baccho mella reperita fuerunt.

His ita præmissis pro clariori Sacrificiorum Legis Moisaicæ intelligentia; hæc uti aperte à Lectoribus habeatur; cum plurima, eaque varia fuerint Aaronica Sacrificia; desumenda venit ab infra scriptis quinque divisionibus Sacrificiorum; quæ sunt: Prima, ob diversitatem Victimarum, quæ immolabantur. Secunda, ob differentiam finis, ob quem fiebat Sacrificium. Tertia, ob varietatem modi in sacrificando. Quarta, ob varietatem dierum, in quibus litabatur. Et Quinta, ob conditionem personarum, quarum inquit Sacrificium offerendum erat.

Prima differentia Sacrificiorum sumitur à diversitate Victimarum, quæ immolabantur. Sciendum est enim, ut diximus supra Dist. VIII. num. 7. Et 10. quod in Aaronicis Sacrificiis Victimæ aliæ erant animalia, aliæ inanimatæ. De animalibus habentibus animam, & viventibus quinque species tantum sibi elegit Deus pro Sacrificiis; nempe duas de volatilibus; Turturæ, & Columbas; & tres de quadrupedibus; Bover, Oves, & Capras; & harum specierum appellationem comprehenduntur tres masculi, quæ femine ex eis provenientes, quales sunt Taurus, Vaccæ, Vitulas, Vulpæ, Agnæ, Arietes, Hædi, & Hirci. Torniellus ad d. Annum Mundi 2545. num. 20. Titinus, & Cornelius à Lapide in suis Commentariis in Exod. cap. 1. ubi prædicitur rationem, cur Deus ita sanxit; tum quia prædicta animalia magis sunt in communi hominum usu, mansueta, & mundiora; tum etiam quia ipsa magis aptè significabant Christum, qui est unica Victimæ Legis novæ; ad quam significandam præcipue erant instituta, ut ait Apostolus ad Hebræos cap. 10. vers. 1. Bos enim significabat Christi fortitudinem; & labores; Ovis innocentiam; Hædus formam peccatoris; Turtur arctam cum Deo conjunctionem, & Columba mansuetudinem. Cur autem noluerit Deus sibi pisces sacrificari? plures rationes reddunt Scripturæ in dist. cap. 1. Levitic. Sed illam evidentiorè cæteris, quod pisces parùm veniunt extra aquam; ideoque immolari non possunt; & quia omnis Victimæ viva, & illæsa erat litanda; & ad piscium exemplum extra aquam postquam dicebat Sanctus Antonius Abbas: Quod piscis est extra aquam, hoc Monachus est extra Cellam.

Sed dicit aliquis: Nonne etiam Passeres, qui sunt alia species inter volatiles à Turturæ, & Columba; offerrebantur Deo in Sacrificio in expiatione Leprosi, ut legitur in Levitic. cap. 14. vers. 4. ubi sic præcipitur ( Sacerdos ) si, qui purificatur, ut offerat duas Passeres: vivos pro se, quibus veses licitum est, & lignum cedrinum, verniculatumque ad lassopam; & unum ex Passeribus immolari jubet in vase siliis super aquas viventes? Respondetur, quod illud non erat Sacrificium propriè Deo oblatum, cum fieret extra castra, longe ab Altari; sed tantum hæc occisio Passeris fiebat ad expiendum ejus sanguinem; ut eoingeretur Leprosi expandus; & prædicta

occisio non fiebat à Sacerdote; seu Sacerdotis jussu, ut considerat Cornelius à Lapide ad dist. cap. 14. Levitic. vers. 5. & dicitur infra num. 67.

Inanimatæ Victimæ, seu Hostiæ erant vel solidæ, vel liquidæ. Inter primas solidas numerabatur Simila, seu flos farinæ; Panis, Sal, Tbur, Manipulus spicarum viventium, & Triticum. Dupliciter offerrebatur Simila, cruda, vel cocta. Panes coquebantur tripliciter, in Clubano, in Sarrigine, & in Craticula; semper tamen cum admixtione olei, thuris, & salis, ut legitur in Levit. cap. 2. vers. 1. Et segg. ac vers. 13. Liquidæ offerenda, erant Sanguis, Vinum, & Oleum; & hæc effusione litabantur; quemadmodum solida vel fractione, vel ustione, vel contritione, ut dicitur infra in tertia differentia; & notant Cornelius à Lapide in Synopsi in capitulo primo Levitic. & Titinus in Commentar. ejusdem libri capitulo secundo.

Secunda differentia Sacrificiorum Legis Moisaicæ sumitur à fine, ob quem fiebant; qui erat quadruplex. Primus ad honorandum Deum, & ad denotandum ejus supremum Dominium in res omnes; & hujuscemodi Sacrificium dicebatur Holocaustum; quæ Vox græca est, & significat totum combustum; siquidem tota Victimæ cremabatur, ut infra explicabimus. Et ob eandem significationem Hebræicè vocabatur קָרְבָּן קָלִיל, totum consummatum; ac etiam קָרְבָּן אֲשֶׁר־הוּא, idest Ascensio, eod quod in ipso tota Hostia per ignem, & fumum ascenderet ad Deum. Secundus finis in Sacrificio erat ad impetrandas gratias, seu beneficia à Deo; & dicebatur Hebræicè זְבַח־שְׂלָמִים Zebach Sclaminim, idest Hostia salutaris pacifica; vel quia omnis gratia pacificæ desideria cordis nostri; vel quia inter omnes gratias magis præcipua est Pax, quam obtinemus in hac vita, viventes absque dissidiis; vide etiam quia apud Hebræos nomine pacis intelligebatur salus, incoluntitas, & prosperitas. Tertius finis erat gratiarum actio pro beneficiis acceptis, & hoc Sacrificium Hebræicè nuncupabatur תּוֹדָה Toda, nempe Hostia laudis, Eucharistica, & Sacrificium laudationis; veniebatque sub nomine Hostiæ pacificæ. Quartus finis in Sacrificio erat ad obtinendam remissionem alicujus peccati, vel delicti; & hoc Sacrificium vocabatur חַטָּאת Chatath, nam חַטָּאת Chet significat peccatum; sive dicebatur חַטָּאת אֲשֶׁר־עָשָׂה, tale enim nomen idem est ac delictum. Omne autem esset differentia inter peccatum, & delictum? disputant Sacri Interpretes, ut videre est apud Torniellum d. Anno Mundi 2545. num. 22. & Titinum in Comment. in Levitic. cap. 4. in fine, ubi concludit, per peccatum designari, quod minus malum est ex aliqua circumstantia, vel ex genere suo; veluti ex ignorantia, ex inadvertentia, vel sola omissione, aliquid factum sit in offensam proximi. Delictum vero est id, quod ex se, vel circumstantiis gravius est malum; verbi gratia, quod contra Deum, vel res divinas, est; ex ignorantia commissum est; sive quod contra proximum ex malitia, ut perjurium, rapina, fraudatio depositi; & similia.

Holocaustum igitur erat Sacrificium Deo oblatum ad solam laudem Dei, & honorem supremæ Majestatis ejus; atque amorem summæ bonitatis ejusdem, est ab ea nullum interesse, ut præmium expectemus; & hæc de causa in Holocausto tota Victimæ, excepta pelle, cremabatur, ad innuendum supremum Dei dominium in res omnes; & ad protestandam subjectionem hominum ipsi Deo, quasi se transferant totos cum fumo ipsius hostiæ in caelum, atque in ipsum Deum, Victimæ autem Holocausti debebat esse masculus, & immaculatus; scilicet, vel vitulus, si offerendives erant; aut agnus, vel hædus à minus divitibus; prout à pauperibus pullus turturis, aut columbæ. Cornelius à Lapide d. Com.



*d. Commentar. in Levitic. cap. 1. vers. 3.* ubi ponit mysticas significationes earumdem Victimarum, quæ cremabantur in Holocaustum; dicens, Vitulum significasse Christum Dominum; Agnum, aut hircum, Sanctos Martyres; turtorem, vel pullum columbæ Sanctos contemplativos, qui corpus, & animam infundunt per continuam mortificationem in obsequium Dei; & hi omnes sunt masculi per fortitudinem, & immaculati per sanctitatem.

Immolationem autem harum victimarum fiebat in Altari holocaustum; quod erat in atrio ante ostium Tabernaculi, seu Templi; quandoquidem, ut explicatum est à nobis supra Decif. 12. num. 14. & num. 33. tres erant partes Tabernaculi, atque Templi; prima intima, scilicet Sanctum Sanctorum; in quam solus Pontifex introibat. Secunda ei conjuncta, videlicet Sanctum, in quam ingrediebantur soli Sacerdotes, & hæc duæ partes proprie constituebant totam fabricam tum Tabernaculi, tum Templi. Tertia externa, nempe Atrium quoddam; undique cingens Tabernaculum, vel Templum; quod quidem Atrium erat bipartitum, ita ut pars vicina ostio Tabernaculi, & Templi esset Atrium Sacerdotum; & in hac parte Atrii erat Altare pro immolando, & concremandis victimis; in quam partem secundum aliquos Doctores modernos, ingredi Laici non poterant; posterior autem pars atrii, quæ septo erat ab anteriore divisa, erat atrium Laicorum; & hi offerentes Victimam in Holocaustum, eam adducebant ad ostium Tabernaculi, vel Templi; idest ad introitum atrii Sacerdotum, ubi illi eam excipiebant, ducebantque ad Altare holocaustum; & ibi eam immolabant. At etiam Laicos offerentes victimas habuisse accessum usque ad Altare dicam infra num. 32.

Hostia Pacifica erat alterum Sacrificium, quod offerrebat tum ad impetrandam à Deo aliquam gratiam, vel beneficium, & dicebatur Hostia salutaria; tum post beneficium acceptum in actionem gratiarum, & vocabatur Hostia laudis, & Eucharistica. Tirinus in *Levitic. cap. 7. vers. 13.* Hinc sequitur, quod utraque Hostia pacifica non offerrebat ex præcepto; sed sponte, vel ex voto, unde ad libitum offerentis esse poterat masculus, vel femina; nisi quis vovisset pecus melius grege suo; tunc enim masculum offerre debebat. Hujus Hostiæ pacificæ fiebat tres partes; quarum prima, idest Sanguis, & adeps Deo adolebatur; nam ut legitur in *Levitic. cap. 3. vers. 16. & 17.* reservaverat sibi Dominus sanguinem, & adipem animalium; & prohibuerat Hebræis eum eorum his verbis: *Omni adeps Domini erit jure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis vestris. Nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis.*

Hic autem oritur dubium: An Hebræi debuissent abstinere ab esu jusculumque adipis de omni animali, quemadmodum abstinere ab esu Sanguinis? Respondetur; ab esu sanguinis jusculumque animalis utique abstinere Hebræi ob hanc prohibitionem, & aliam ipsidem injunctam in *Deuteronomio. cap. 12. vers. 16.* ut eos averteret à crudelitate in proximum, & ab homicidiis; quæ de causa SS. Apostoli mandarunt etiam primitivis Christianis, *Athor. cap. 15. vers. 39.* ne ederent sanguinem, ut sic facilius Judæi cum Gentibus confuiscerent, in unamque Ecclesiam coalescerent; quia Gentes Judæi aversebantur quasi barbaras, eò quod sanguinem comederent. Quo verò ad esum Adipis, distinguere oportet adipem confertum, & condensatum in intestinis ab adipem carni immixto, & adhærente. Primum comedere non poterant de Hostia immolata, & quæ poterat immolari, nempe de Bove, Vacca, Vitulo, Ove, Agno, Ariete, Capra, Hædo, & Hirco; etsi hæc animalia domi mactata essent ad comedendum; reliquum verò adipem car-

ni adhærentem, & immixtum, manducare poterant. In cæteris autem animalibus mundis, cæcis in esum, veluti Cervis, Bubalis, Tragelaphis, Pygæis, Orygibus, Camelopardis, (quæ erant animalia silvestria, similia Cervis, ac Capris; sed munda, non tamen apta ad Sacrificia) poterat Hebræi totum adipem comedere, ut ait S. Augustinus in *Levit. quest. 2.* quamvis, ut exactius legem servarent, de quocumque animali adipem intestinorum projiciebant; eoque utebantur vel ad candelas sebaceas formandas, vel ad alios profanos, honestatamen usus, ut autumat Tirinus in *Levitic. d. cap. 3. vers. 16.* & Cornelius à Lapide *ibid. vers. 17.* ubi advertunt, quod Turres, aut Columbæ deservire non poterant pro Hostia pacifica; quia cum ex eis tres partes essent faciendæ, una cremanda Deo, altera cedenda Sacerdotibus; & tertia manducanda ab offerentibus, aves prædictæ, tanquam minores, in tres portiones commodè dividi non poterant; idcirco Hostiæ pacificæ esse debebant ex quadrupedibus; reservatis avibus pro holocausto, in quo totæ Deo cremabantur.

Hostia pro peccato, seu pro delicto erat aliud specialius Sacrificium; in quo ex Hostia oblata nihil ad offerentes redibat, sed, adipe cum renibus, & sanguine litatis Deo, vel exussis, cætera omnia cedebant Sacerdoti (erant enim Deo Sacra) offerri non poterant de loco sacro, nec ab aliis, quam à Sacerdotibus in atrio sancto manducari; quæ de causa ipsi dicebantur comedere peccata populi. *Offic. cap. 4. vers. 4.* Hæc autem comestio Sacerdotum procedebat de Victimis litatis pro peccatis laicorum particularium; nam illæ, quæ offerrebantur pro peccato Pontificis, vel totius populi, totæ debebant extra castra comburi; præter sanguinem, & adipem, qui prius in atrio sancto libabantur, & adolebantur Deo; ad majorem detestationem peccati. Rursus Hostia pro peccato esse poterat Capella, vel Agnellus; at pro delicto requirebatur etiam in privatis Hostia major, nempe Arietis, Vitulus, vel Bos, Cornelius à Lapide, & Tirinus *loc. supra cit.*

Tertia differentia Sacrificiorum Legis Mosaicæ sumebatur à varietate modi, seu ritus in Sacrificando. Varius autem erat ritus, & modus; siquidem in Holocausto Victimæ femina (ut diximus supra num. 20.) non admittebatur, sed masculini sexus; quæ esset juvenis, & absque ulla macula; idem Boves veteres quatuor, vel quinque annorum non immolabantur; sed vituli, juxta illud *Psal. 50. 21.* *Tunc imponent super altare tuum vitulos.* Item Agni, Arietes, & Hædi; quorum probatio fiebat per diligentem inspectionem à Sacerdotibus extra Atrium in una exedra ad hoc parata. Habita probatione Victimæ hæc introducebatur in atrium Sacerdotum penes Altare, eamque sequebantur, qui illam offerrebant, ut ex Auctoritate Lyran, Abulenfis, & Oleasri vult Barradas in *Itiner. sicut. Israh. lib. 6. cap. 2. num. 4.* Ex quo patet, quod laici ingrediebantur atrium Sacerdotum, & accedebant usque ad Altare holocaustum; & hoc etiam ratio comprobatur, nam ipse offerens victimam imponebat manus suas super caput ejus, & indicans, & Hostiam, & seipsum se offerre Deo in Holocaustum. Deinde Sacerdos jugulabat ipsam Victimam expansam; videlicet divaricatis cruribus, expanso, & erecto corpore; collo autem demisso, ad faciliorem, & commodiorem sanguinis effusionem. Sanguis collectus in crateris à Sacerdotibus Deo offerrebat, deinde fundebatur per circuitum Altaris, & per subterraneos canales, aqua per eorum decurrente, traieciatur in cævas, seu puteos ad hoc destinatos. Successive Sacerdos pellem Victimæ detrahebat, Victimam in frusta

secabant, ejusdemque intestina, & pedes aqua lavabant; struem lignorum in Altari componebant, & super ligna animalis membra collocabant; subjecitque igne omnia incendebant; non enim animal indivisum, sed in frusta secum, comburebatur. Sacerdos adstabat, pellemque sibi retinebat; & interim Levitæ, & cantores hymnis, ac canticis Deum laudabant.

Quod si quis petat, an ingratus evaderet odor ille carni? Respondetur negativè, tum ob contum usum; tum quia Altare sub dio erat; & ab aere, ac vento fumus, & odor, præcipue fabricato Templo in summitate Montis, hinc inde distrahebatur. Sed quid, dum pluebat, omittebantur Sacrificia? Nequaquam; creditur enim, opertum fuisse Altare tabulato aliquo eminenti, quo imbres propellerentur, possent Sacerdotes munere suo fungi. Barradas *d. lib. 6. cap. 2. num. 8.* Hæc de Victimis quadrupedibus in holocaustum immolatis.

Quod si quis petat, an ingratus evaderet odor ille carni? Respondetur negativè, tum ob contum usum; tum quia Altare sub dio erat; & ab aere, ac vento fumus, & odor, præcipue fabricato Templo in summitate Montis, hinc inde distrahebatur. Sed quid, dum pluebat, omittebantur Sacrificia? Nequaquam; creditur enim, opertum fuisse Altare tabulato aliquo eminenti, quo imbres propellerentur, possent Sacerdotes munere suo fungi. Barradas *d. lib. 6. cap. 2. num. 8.* Hæc de Victimis quadrupedibus in holocaustum immolatis.

Cæterum ad plenam cognitionem Sacrificii Holocausti non est ignorandum; quod quotiescumque illud offerrebatur five de quadrupedibus, five de volucris, adhibendum etiam erat Sacrificium farreum, quod *Minchâ* dicebatur; sub hoc ritu, videlicet impositis carnis victimæ cremandæ super Altare, Sacerdos pugillum simillæ oleo, & sale conditæ, atque commixtæ, eidem Victimæ imponebat, simulque super eandem Victimam vinum effundebat, tum eidem addendo; mox subjiciebat ignem, & cum hisce suis libaminibus Victimam Deo concremabat, & adolebat; & ita observabatur in omni carneo Sacrificio. Quando autem similia; vel panis de per se offerrebat, quod erat Sacrificium quasi Holocaustum; tunc pars simillæ, vel panis, Oleo, & Sale, Thure, ac Vino adhibitis, comburebatur; reliquum verò à solis Sacerdotibus, in eodem atrio Sancto, tanquam quid Sacrosanctum comedendum erat; ut observant Tirinus, & Cornelius à Lapide in *Levitic. d. cap. 2.*

In Sacrificio Hostiæ Pacificæ tam pro beneficiis obtinendis, quam pro gratiarum actione pro obtentis, ritus sequentes observabantur ad differentiam holocausti. I. Victimæ esse poterant vel masculæ, vel femellæ. II. Hæc dividebantur in tres partes, una quarum Deo, altera Sacerdoti, tertia offerentibus in epulum cedebat. III. Ideo volucres offerri non poterant, quia ob parvitatem dividere eas in tres partes facile non erat. IV. Ad partem Orientalem Atrii offerrebantur. V. Adeps, & pectusculum Victimæ debebat imponi manibus illius, qui venerat oblatum Hostiam pacificam; quam sic Deo offerrebat, videlicet imponebat manibus ejus mediante aliquo vasculo argenteo. Dein Sacerdos supponens manus suas manibus offerentis sic onustis illas elevabat sursum, mox deorsum; rursusque ducebat eas ab Oriente ad Occidentem, & à Meridie ad Septentrionem, exprimens figuram trine Crucis, ut bene observat Tirinus in *d. cap. 7. Levitic. vers. 30.* VI. Postea ex ipsius manibus Sacerdos carnem desumebat, thos cum penes Altare fieri conveniret:

ideo plures DD. arbitrati sunt, ut supra innuimus, etiam Laicos potuisse atrium Sacerdotum ingredi, & accedere ad Altare; quamvis ex modernis plures id negent. VII. Si Victimæ erat ovilis, agnus, aut aries, etiam cauda erat Domino avida; secus si bos, aut capra; ea mystica ratione, quod cauda significat finem vitæ, & perseverantiam in bonis operibus; & de hac magis solliciti esse debent homines delicati, quam fortes in laboribus, ut SS. Patrum dictis firmat Cornelius à Lapide in *Levitic. cap. 3. vers. 9. & 10.* VIII. Portio carnis, quæ dabatur ex Hostia pacifica, ut comederetur à Laico offerente, erat elixanda in ipso atrio Tabernaculi, seu Templi; in quo erant culinæ ac carnes prædictas coquendas; & hinc erat, quod sub Summo Sacerdote Heli, *Veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fusciculum tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebetem, vel in caldarium, aut in ollam, sive in cacabum; & omne quod lebabat fusciculum tollebat Sacerdos sibi.* Reg. 2. 13. At cum essent coctæ, & elixæ prædictæ carnes, poterant deferri domum tam à Sacerdotibus, quam à Laicis offerentibus. Tirinus in *Levitic. cap. 7. vers. 13.* quod tamen negat Cornelius à Lapide in *Levitic. eod. cap. 7. vers. 30.* affirmans, quod erant comedendæ in ipso atrio Sancto. X. Eadem carnes Victimæ pacificæ, si oblato fuerat pro gratiarum actione, eadem die oblationis comedendæ erant; si verò ad gratiam impetrandam, si quid remanebat, comedi poterat sequenti die; quod si in tertium diem supersisset aliquid, igne erat comburendum. XI. Tandem hi offerentes, ut carnes prædictas manducare possent, mundi esse debebant à copula carnali, & à quacumque alia legali immunditia sub pœna mortis. Barradas *d. lib. 6. cap. 6. num. 3.*

Ritus verò Sacrificii pro peccatis erant. I. Silicet tabantur pro peccatis privatorum hominum, vel Principum Laicorum, nulla pars Victimæ dabatur comedenda offerenti; siquidem adipe cum renibus, & sanguine litatis Deo, ac exussis, cætera omnia cedebant Sacerdotibus, à quibus poterant communicari aliis Levitis masculis, non autem feminis, ut ait Cornelius à Lapide in *Levit. cap. 7. vers. 7.* II. At ipsi Sacerdotes debebant eadem die totam Victimam absumere. III. In hoc Sacrificio non adhibebatur oleum, neque thus; fuit enim symbolum deliciarum, quæ abesse debent, ubi sit penitentia pro peccatis. IV. Quod si Sacrificium erat pro peccato, ad ejus expiationem satis erat quæcumque Victimæ etiam feminea; at si fuerat pro delicto, requirebatur nobilior Hostia, nempe Arietis masculus. V. In peccatis autem Pontificis, seu totius populi, oblato, & excusso Sanguine, ac adipe Victimæ in atrio Sancto ad altare; carnes ejus totæ debebant comburi extra castra ad majorem peccati horrorem, & detestationem; & sic nihil ex eis comedebant Sacerdotes. VI. Sanguine Victimæ in hoc Sacrificio pro peccato Pontificis, seu totius populi, non solum tingebantur cornua Altaris Holocausti; sed etiam Altaris incensi. Tirinus, & Cornelius à Lapide in *Levitic. d. cap. 7.*

Ritus quoque adolendi Thymiamatis est observandus. Altare Thymiamatis, ut dictum est in *Decif. XII. num. 16.* erat in Sancto, in medio candidabri, & mensæ, obversum Propitiatorio, & sive Oraculo, quod erat in Sancto Sanctorum; & super hoc Altare quotidie, manè, & Vespere per Sacerdotem adolebatur Thymiam; cujus odor, & suffitus pretiosus penetrabat in Sancta Sanctorum per aperturam, quæ erat supernè dividens ipsum Sancta Sanctorum à Sancto. Ritus autem adolendi Thymiamatis erat iste. I. Sacerdos capiebat unum ex Thuribus pendentibus in cornibus Altaris holocaustorum; & in eo prunas ignis ex eodem Altari



Altari sumptas imponebat. 2. Intrabat Sanctum, ibique accipiebat thymiama ex Thuribulis, quæ erant supra mensam panum propositionis, illadque imponebat quo Thuribulo, & igni. 3. Hoc sum Thuribulum cum igne, & thymiamate ponebat super Altare thymiamatis; atque ibidem adolebatur, & comburebatur thymiama. 4. Eo consumpto egrediebatur Sacerdos cum Thuribulo suo, cuius cineres in loco mundo effundebat; & deinde ad cornua Altaris holocausti Thuribulum ipsum applicabat. Ad huius incensæ, ac thymiamatis oblationem ingressus erat Sanctus Zacharias Pater Sancti Joannis Baptistæ Sanctum, sive partem Sanctam Templi, quando apparuit ei Angelus, nuntians Præcursoris nativitate; unde Pater ipse mutus exivit. De Ritu supradicto agit Cornelius à Lapide in Exod. cap. 30. vers. 8. & Tirus eod. loco, ubi notat, quod Thymiama adolebatur quotidie bis, scilicet oriente, & occidente sole, ante Matutinum, & post Vespertinum iuge Sacrificium. Erat autem iuge Sacrificium illud, quod quotidie offerrebat, & nunquam intermittebatur; fiebatque oblatione duorum Agnorum, quorum unus manebat sub ortu Solis, alter vespere sub occasum; & uterque in holocaustum per dies singulos litabatur; addita decima parte epbi, seu gomor similæ oleo consperse, & quarta parte bin seu tres sextarii vini ad libandum; & hoc Sacrificium significabat nostrum Legis Evangelicæ Eucharisticum; in quo CHRISTUS Agnus immaculatus quotidie immolatur in Missa sub speciebus panis, & vini; & continet in se cætera alia Sacrificia, Holocaustum, quia offertur in honorem totius Sanctissimæ Trinitatis; Hostiam salutarem ad impetrationem bonorum omnium tam spiritualium, quam temporalium; Hostiam Eucharisticam, seu pacificam pro gratiarum actione ob indefinita Dei beneficia; Atque Hostiam pro peccato; cum huius Sacrificii oblatio impetret auxilia ad culpas evadendas; & ad pœnas condonandas tam pro vivis, quam pro Defunctis, ut ostendimus supra Decif. XII. Et de mystica significatione omnium supradictorum Sacrificiorum videndus Sanctus Thomas 1. 2. q. 102. art. 3. Eminent. Cardin. Bellarminus lib. 5. de Eucharistia: & prim. de Sacrif. Missæ. Cap. 4. & seqq. Cornelius à Lapide, & Tirus Comment. in Levitic. cap. 1. 2. 3. & seqq. Barradas in Itinerario sistor. Israel lib. 6. à cap. 1. usque ad cap. 10. Novissimè Illustratissimus, ac Reverendissimus Marcus Baptaglianus Episcopus Noceræ in sua eruditissima Instructiõne ad Parochos Domin. infra Orlavam Corporis Christi cap. 2. impressa Venetijs Anno 1696. Quarta differentia Sacrificiorum Mosaicæ Legis deprimitur à variatione dierum, in quibus apud Hebræos Victimæ litabantur. Quapropter sciendum est, injunctum fuisse præceptum Hebræis litandi quotidie Agnos duos in holocaustum; ac ulterius alia majora Sacrificia immolandi festivis diebus. 45. Festa autem apud Hebræos alia erant ordinata à Deo; & alia instituta à suis majoribus. Ex Divino præcepto festa octo annuatim habebant Hebræi; videlicet 1. Omnem diem Sabbatum. 2. Omnem diem primam cuiuslibet Mensis, & dicebatur Neomenia. 3. Pascha azyorum. 4. Pentecosten. 5. Festum Tabarum. 6. Festum expiationis. 7. Scenopogium, idest festum Tabernaculorum. Et 8. Festum cæstus, sive collectæ. Præter hæc festa ex præcepto Divino alia sex erant instituta à Rabbis, nempe. 1. Festum ob Victoriâ Judith contra Holofernem. 2. Festum Phurim, seu fortium, ob liberationem Mardochei, & populi obtentam ab Esther. 3. Festum Encæniorum, tum dedicationis, tum purgationis Templi. 4. Festum ignis sacri à celo recepti. 5. Festum ob eadem Nicanoris. Et 6. Festum ob recuperatam Je-

rusalem à Simone Machabæo. Lectorem studiosum ne tædeat ceteris descriptionibus harum festivitatum, & Sacrificiorum, quæ fiebant in eis, ut satis clarum notitiam reporet Judaicæ Liturgiæ. Igitur præter iuge Sacrificium, scilicet quotidianum, duorum Agnorum, cum similia, & libamine, præscriptum in Exod. capit. 29. Vers. 38. de quo diximus supra numer. 43. ac thymiamatis combusti; sequentia Sacrificia fiebant in suis festivitibus. Primò itaque omni Sabbato litabantur alii duo Agni anniculi in holocaustum Domino, præter illos iugis Sacrificii, cum similia, oleo, & vino, ut legitur Numer. cap. 28. Vers. 9. & ibi Cornelius à Lapide; ubi advertit, quod manè Sabbati trium Agnorum immolatio fiebat; & quotiescumque in una die reincedebant plura ex infrascriptis festis, multiplicabantur Sacrificia Victimarum, quæ sunt eis assignata. Omitto brevitatis causa, quod Hebræi die Sabbati abstinebant ab omni opere; & non coquebant cibos, neque pro cibariis ignem accendebant: at pro fe calefaciendis in hyeme, & pro lumine accedendo succendebant ignem. Tirus Comment. in Exod. cap. 35. Vers. 3. ubi plurimè circa aliorum superstitiosam observationem Sabbati. Secundò: Calendis cuiuscumque mensis, idest in 50 prima die, quæ dicebatur Neomenia, sive Novilunium, offerrebantur in holocaustum Vituli duo, Aries unus, Agni septem cum suis libamentis; item Hircus unus pro peccato, ut in d. cap. 28. Numer. Vers. 11. & seqq. Hæc prima dies Mensis non erat propriè festum ex præcepto; quia non abstinebant Hebræi ab opere servili; sed ex devotione, ob injuncta antedicta Sacrificia, ut ait Cornel. à Lapide d. cap. 28. quamvis contrarium ibidem advertat Tirus; & idè dicebat Psalmista: Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestra. Psal. 80. 4. Incidebat autem semper Neomenia, seu prima dies Mensis in novilunio; quia Hebræi suos menses computant secundum cursum Lunæ, non autem Solis; & quia Luna decurrit totum Cælum diebus 29. cum dimidio, hinc est, quod apud Hebræos primus mensis habet dies 29. Secundus habet dies 30. & sic alternatim per totum annum; unus Mensis 29. diebus, alter 30. completur. Indictum erat Judæis hoc festum ad hoc, ut sicut in Sabbato venerantur beneficium Creationis, ita in Novilunio recordarentur illud Conservationis, quod per cursum Lunæ, quæ corporibus sublunariis valde dominatur, intelligitur. Inter nos Christianos sicut dies Dominica correspondet Sabbato Judæorum; sic prima Dominica Mensis habet relationem ad Neomeniam; in ipsam enim pii fideles Sacramenta suscipere, & beneficia divina recollere solent. Tertio: Festivitas Paschæ succedebat in primo 52. mense Anno, vocato Nisan; à nobis autem Martio; in quo Hebræi die decimaquarta, præter Sacrificium quotidianum, immolabant ad Vesperam, comedebantque Agnum Paschalem cum Azyms, & lactucis agrestibus, de quibus Exod. cap. 12. & tunc incipiebat Pascha Azyorum, duraturum per septem sequentes dies in memoriam exitus ab Ægypto, & liberationis à servitute Pharaonis. Idcirco die decimaquinta, quæ erat prima Azyorum, præter eorum elum, & cessationem ab operibus servilibus, offerrebat eadem Victimam, nempe duos Vitulos, unum Arietem, Agnos septem cum libaminibus, atque Hircum; ut præcipitur eod. cap. 28. Numer. Vers. 19. & seqq. & ita faciebant quotidie usque ad septimum diem Paschalem, & ultimum; qui erat dies huius mensis vigesimus primus. Porro secunda die Azyorum, quæ erat huius Mensis decima sexta, præter Sacrificia omnia

omnia antedicta, offerrebat manipulum spicarum, seu primitiarum messis hordeacæ; tres enim primitias frugum sibi Deus reservaverat: hanc spicarum in secundo die Paschatis, quæ erat prima: secundam panum ex messe triticea in Pentecoste: & tertiam omnium frugum in festo Tabernaculorum, ut notat Cornelius à Lapide in Levitic. cap. 2. Vers. 14. & Tirus in Levitic. cap. 22. Vers. 2. ubi ita scribit: Porro manipulus ille non offerrebat ad Altare unà cum spici, & paleis; sed, ut ait Josephus, sicabatur primùm, dein pilo tundebatur, mox sursum excretionem repurgatus, sola similia, seu florere-litio, mensura assaronis, seu gomor unus, ut est in Hebræo, Deo offerrebat. Erat enim Manipuli spicarum oblatio verum Sacrificium, quod Minchâ Hebræi nuncupabant. Quarto: A die oblati huius Manipuli cùm festum hebdomadæ fluxissent, adveniebat festivitas Pentecostes, ob memoriam Legis datæ à Deo Israelitis in monte Sinai, cùm essent in deserto, die sexta Mensis tertii, Sivan dicti. Victimæ, & Hostiæ, quæ in hac festivitate offerrebantur, describuntur Levitic. cap. 23. Vers. 17. his verbis: Offerretis Sacrificium novum Domino ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duobus Decimis similes fermentate: quos coquitis in primitiis Domini. Offerretis quoque panibus septem Agnos immaculatos anniculos, & Vitulum de armento unum, & Arietes duos: & erunt in holocaustum cum libamentis suis in odorem suavisimum Domino. Facietis quoque hircum pro peccato, & Agnos anniculos hostias pacificorum. Verùm in libro Numeror. capit. 28. Vers. 27. denuntiantur Victimæ pro hoc eodem die festivo Pentecostes his etiam verbis: Offerretis quoque holocaustum in odorem suavisimum Domino, Vitulos de armento duos, Arietem unum, & Agnos anniculos immaculatos septem: atque in Sacrificiis eorum similia oleo consperse, &c. Hircum quoque unum, qui mactatur pro expiatione. Quorum verborum occasione Sacri Interpretes disputant, utrùm Victimæ ultimæ sint eadem cum primis, vel aliæ à primis? Siquidem inter primas sunt duo Arietes, & Vitulus unus: at inter secundas sunt duo Vituli, & unus Aries? Et quamvis plures DD. opinati sint, fuisse unicam ordinationem, in qua vel duos Vitulos cum uno Ariete; vel duos Arietes cum Vitulo uno satis esset offerre; nihilominus Cornelius à Lapide d. lib. Levitic. cap. 23. vers. 18. fretus auctoritate Josephi Historici tenet, utramque ordinationem, & utraque Victimam in hoc festivo die Pentecostes fuisse in præcepto, ita ut hac die essent offerendi Vituli tres, Arietes tres, Agni quatuordecim, & Hirci duo cum suis libaminibus; videlicet similia, oleo, vino, & thure; præter oblationem panum duorum similæ fermentatæ, collectorum ex quadamque domo, & familia Israelitarum. Sed oritur dubium: Supra dictum est num. 5. prohibuit fuisse fermentum in Sacrificiis; Quomodo ergo hic offerrebat duo Panes ex similia fermentati? Respondetur, hos panes fuisse oblatos non in Sacrificium, sed tamquam primitias messis triticeæ in esum, & usum Sacerdotum, & idè cum iisdem panibus non dabatur libamenta. Ita Cornelius à Lapide d. lib. Levitic. cap. 23. vers. 16. & 17. ubi observat hanc fuisse differentiam inter Manipulum spicarum, & hos panes duos, quod scilicet ille unicus erat, oblati à Communitate, nomine totius populi: isti autem mittebantur ab omni privata familia, & idè erant innumeri. Nos Christiani sicut celebramus Pascha ob memoriam Resurrectionis Christi, qua liberati sumus à servitute diaboli, ita colimus Pentecosten ob legem amoris scriptam in cordibus fidelium à Spiritu Sancto, qui hac die missus est super Apostolos. Sanctus Thomas 1. 2. d. q. 102. art. 4.

Quinto: Post prædictam festivitatem Pentecostes Hebræi nullam aliam habebant mensibus quarto, quinto, & sexto præter Neomenias, & Sabbata; porro in mense septimo, quem Tirus appellabant, plures habebant dies festos. Nam prima die, ultra Neomeniam, emergebat Festum Tubarum seu clangoris; in quo Tubis corneis clangebant, ab operibusque servilibus vacabant, in memoriam liberationis Isaac de manu Patris sui Abrahami, illum hac die immolare volentis. Sacrificia huius diei, præter illud quotidianum, & illud Neomenium, erant unius Vituli, & unius Arietis, Agnorum septem, cum solitis libaminibus Similæ, Olei, Vini, Salis, & Thuris, ac unius Hirci pro peccato, ut notatur in libr. Numeror. cap. 29. à vers. 1. usque ad 7. ubi Cornelius à Lapide: & in Levitic. 13. vers. 24. ubi tradit, hanc festivitatem fuisse Symbolum Prædicationis Apostolorum, à quibus tamquam Tubis clangentibus fides Christiana divulgata est per totum Orbem terrarum. Sexto: In eodem mense septimo, die decima 58. habebatur sexta Festivitas, dicta כפרים Kipurim: idest Expiationis, sive Propitiationis, in qua fiebat expiatio peccatorum totius populi, toto anno commissorum, per jejunium, & Sacrificia, in memoriam expiationis peccati, quod commiserant Hebræi in Deserto in adoratione Vituli aurei. Cæremoniæ Sacræ in hac solemnitate erant decem sequentes. I. Hac die decima veniebat de mane Summus Pontifex ad Templum adducens suum Vitulum pro peccato, & Arietem in holocaustum. II. Lotis manibus, ac pedibus induebat Vestes minorum Sacerdotum, & presentabat Vitulum, & Arietem Domino ad ostium Tabernaculi, seu Templi. III. Aliqui è senioribus populi, nomine totius populi, offerrebat duos Hircos pro peccato, & unum Arietem in holocaustum. IV. Pontifex mittebat sortem super hircos, uter offerretur? & uter esset emissarius? V. Sorte facta Pontifex jugulabat vitulum pro peccato oblatum, & hircum populi, in quem ceciderat fors, ut esset Victimæ pro peccato. VI. Accipiebat sanguinem huius vituli, & hirci commixtum, & ingrediens cum Thuribulo thurificando Sanctum Sanctorum, aspergebat sanguinem septies contra Propitiatorium; orabatque pro peccatis tam suis, quam populi: interium carnes, & pelles, ac simus tam Vituli, quam Hirci ab alto quopiam elata extra castra, ibidem comburebantur. VII. Pontifex regrediebatur ex Sancto Sanctorum in Sanctum, illudque expiabat, tingendo eodem sanguine cornua Altaris Thymiamatis, & orando pro se, & pro populo. VIII. Ex Sancto rediens ad atrium, sive ad ostium Tabernaculi, vel Templi, Caprum emissarium offerrebat Domino, confitendo, & capiti Capri imprecando omnia peccata Israelitarum: mox Caprum per certum hominem in desertum emittebat. IX. Deponebat Vestes, lavabat corpus, induebat Vestes Pontificales, & immolabat Arietem suum, & Arietem populi in holocaustum Domino. X. Offerrebantur aliæ Victimæ, in holocaustum, de quibus Numer. 29. 8. videlicet alius Vitulus, & Aries, septem Agni, cum libaminibus consuetis, & alius Hircus pro peccato, & de præmissis fuscè agit Cornelius à Lapide in Levitic. cap. 16. ubi vers. 10. narrat fabellam relataam ab Oleastro, & decaptatam à Rabbis, quod ad cornua prædicti Hirci emissarii alligabatur fusculus rubeus qui vertebatur in album, si Deus peccata populi condonasset, juxta illud Isa. 1. 18. Si fuerint peccata vestra, ut coccinum, quasi nix dealbabitur. Plura de hoc eodem festo Expiationis notat Tirus in eod. Levitic. cap. 16. ubi allegoricè notat, illos duos Hircos figurasse Christum, & Barabam; vel secundum Apostolum ad Hebræos cap. 9. vers. 2. & cap. ult.



ult. vers. 13. & 14. Eundem Christum ut Hostiam crucientem, & incruentam peccatis nostris onustam à Patre.

Septimò: In hoc eodem mense Tisri, seu Septembri, die decimaquinta habebat Hebræi septimam festivitatem nominatam *Scenoegiam*, vulgò *Tabernaculorum*, à verbo græco *σκηνω*, idest *Comestio*, & *σκηνη* nempè *communis*, quia Judæi comedebant in loco publico, seu communi, ut vult Abulenlis; vel potiùs à *שוק*, idest *fiat*, & *קוּפָּה*; & à *שולח* idest *Tabernaculum*, in hoc enim festo Hebræi figebant Tabernacula extra domos, sub dio, vel in hortis; vel in domorum atris, vel in tectis domorum, & sub ipsis manducabant per dies septem continuos, in memoriam quadraginta annorum, quibus per desertum in ejusmodi Tabernaculis egerunt; ut explicant Tirinus in *Levitic. d. cap. 23.* & Cornelius à Lapide *ibidem vers. 24.* ubi subdit, quòd in hoc festo omnes Masculi debebant Templum adire, & sua dona offerre, & quia hæc festivitas durabat septem dies, Hebræi die septimo circuibant Altare septies portantes ramos, in memoriam Urbis Jericho expugnatae à Josue, septeno ejus circuitu. Sacrificia autem quæ fiebant in hac eadem solemnitate, & Victimæ, quæ manducabantur, describuntur in libro *Numer. capit. 29. vers. 12.* & *seqq.* & erant prima die Vituli tresdecim, Arietes duo, Agni quatuordecim cum suis libamentis similia, olei, vini, thuris, & salis, atque hircus pro peccato, & prædicta omnia animalia comburebantur in holocaustum; & idem observabant sex diebus sequentibus, excepto quòd de die in diem diminuatur numerus Vitulorum; itant septimo die offerrentur tantummodò Vituli septem, Arietes duo, Agni quatuordecim, ac libamina, & Hircus. Innebat hoc festum memoriam, quam Sancti habent in hac vita peregrinationis suæ per desertum hujus mundi, festinantes ingredi beatam patriam Paradisi, ut monet Apostolus ad Hebr. cap. 11. *Vers. 9. & 10.* Vel etiam significabat Nativitatem Christi, qui in stabulo natus est, ut hic nobiscum quasi in Tabernaculo versaretur; ut sensus differit Cornelius à Lapide *d. cap. 23. Levitic. in fine.*

Octavo tandem habebatur octava, & ultima solemnitas à Deo ordinata, vigesima secunda die hujus pariter Mensis septimi, quæ vocabatur *Catus*, & *Collectæ*, non tantùm quia colligebantur in ea pecuniæ pro elemosyna Tabernaculi, & Templi, sed etiam quia colligebatur infinitus quasi numerus hominum; qui simul Deo gratias agerent orationibus, & Sacrificiis pro beneficiis universalibus, & particularibus, & ideò hic dies vocabatur magnus festivitatis, ut scribit S. Joannes in suo Evangelio *cap. 17. Vers. 37.* his verbis: *In novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus, & clamabat, dicens: si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aqua viva.* Sic autem exclamabat Christus Dominus, quia in hoc festo Judæi hauriebant aquam ex fonte Siloe, quam Sacerdotibus afferebant, ut cum vino libaminis super Altare effunderetur; decantantes interim illud *Psalm. cap. 12. Vers. 3.* *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*, ut interpretatur Tirinus in *Joan. d. cap. 7. Vers. 37.* ubi *ibid. cap. 9. Vers. 7.* declarat; quòd *Siloe* erat fons è radice montis Sion, incertis horis, diebusque magno impetu ebulliens, & inde cum magno strepitu per saxa in natatorium, idest lavatorium, seu piscinam, vel stagnum declinans; undè plerumque in vicinos hortos variis tubis, & canalibus derivabatur.

Porro Sacrificia præscripta pro hoc festo Catus, seu *Collectæ*, consistebant in oblatione unius Vituli, unius Arietis, & septem Agnorum cum suis libaminibus, nec non Hirci unius pro peccato,

ut legitur *cod. cap. 29. Num. Vers. 26.* de quibus doctè scribit Julius Maurocenus in suo libro *contra Judæos part. 2. cap. 45.* Et hæc de diebus festis à Deo ordinatis.

Præter ipsos autem erant alii dies solemnes, recensiti supra *num. 46.* à Rabbinis, & Sacerdotibus instituti, qui celebrabantur infra scriptis diebus, videlicet, die 23, mensis septimi Encanpæ Dedicacionis Templi Salomonis, de quibus nulla ordinatio in Scriptura sacra. Die 25, Mensis noni, dicti *Castel* tria festa agebantur, nempè dies Victoriæ Judith, dies dari Ignis, & dies Encaniorum purgacionis Templi sub Juda Machabæo. Et tandem in mense duodecimo, *Adar* nuncupato, die 13, celebrabatur festum ob eadem Nicanoris, die 14, festum Mardochei, quòd dicebatur *Sortium minus*. Die verò 15, festum *Sortium majus*, hebraicè autem *Phurim*, de quo Tirinus *Commentar. in Ester. cap. 2. Vers. 7.* & *cap. 9. Vers. 27.* nec non ibidem *Mandi 2545.* in Calendario Hebræorum ad prædictos dies, ubi notat, quòd à nullo Authore memorantur Victimæ, quæ litabantur in hisce festivitibus; etiam extra dubium sit, quòd eas Hebræi solemnizarent jejuniis, precibus, & statis Sacrificiis. Et hæc omnia dicta sint de quarta differentia, seu divisione Sacrificiorum, sumpta à varietate dierum, in quibus immolabantur.

Quinta tandem differentia Hostiarum sumitur à conditione personarum, quatum intuitu Sacrificium offerendum erat; quæ quidem personæ erant in octuplici differentia.

Primò erant Sacerdotes in eorum consecratione; tunc enim tria Sacrificia offerabantur eodem die, scilicet Vitulus unus mactabatur tanquam hostia pro peccato, Arius unus in holocaustum Domino. Alter Arius pro Hostia pacifica cum libaminibus confectis ex similia, oleo, vino, thure, & sale, ut describitur in libro *Exodi cap. 29. à Vers. 90.* & *seqq.* ubi Cornelius à Lapide cæremonias declarat, & allegorias adducit.

Secundò erant Nazaræi, quò cum ad tempus segregarent se ad servitium Domini, abstinentes à vino, & aliis, ut diximus *Decif. XXIV. num. 65 so. 51.* completo tempore Nazaræatus tria sacrificia pro eis offerabantur, scilicet Agnus in holocaustum, Arius in hostiam pacificam, & Ovis pro peccato, cum libaminibus, & panibus azymis, præscriptis in libro *Numer. cap. 6. Vers. 11.* & *seqq.* & ibi Cornelius à Lapide, observans, quòd dum litabantur prædictæ Victimæ radebatur caput Nazaræi, & ejus capilli comburebantur super Altare, & hinc habuisse originem Tonsuram Ecclesiasticam clericorum ait Iudorus de *Divin. Offic.* quamvis eam ordinasse SS. Apostolos in memoriam spinæ Coronæ JESU CHRISTI doceat Beda *lib. 5. de Gest. Aglor. Christi* docet Beda *lib. 5. de Gest. Aglor. Christi*, ad quos spectat etiam illibatam in suo Clero custodire, neque in Ecclesiasticis inferioribus, quibus sub pena excommunicationis prohibuitur est comam portare. *cap. si quis ex clericis 4. cum seqq. De Vita, & Honestate Clericorum.* De qua obligatione non plene differimus in decisionibus Cleri hujus Patavini anno 1683. in Mense Januario. Prædicta Sacrificia fiebant completo Nazaræatu; quòd si ante complementum pollutus fuisset, obviando alicui cadaveri, vel ingrediendo, ubi aliquis mortuus fuisset, ad se expandium, duo Sacrificia erant pro eo facienda; nempè unius Turturis, seu unius pulli columbæ in hostiam pro peccato, & alterius Turturis, seu pulli columbinæ in holocaustum. Item unius agni pro peccato, rasa interim caesarie, & de novo incipiebat tempus Nazaræatus.

Tertio

Tertio erant Leprosi, qui eùm sanati essent à Lepra, ut tales declararentur à Sacerdotibus, & possent relictui tum Templo, tum convivio aliorum hominum, hi ritus, atque sacrificia fiebant pro eorum Leprosorum expiatione, præscripta in libro *Levitic. cap. 14.* Ritus erat iste. 1. Sacerdos aspergebat expandium sanguinem unius Passeris per alium Passerem alligatum baculo cedrino, cum cocco, & hyssopo, mox Passerem vivum avolare sinebat. 2. Expiendus lavabat vestes suas, radebat pilos corporis sui, ac lavabat seipsum. 3. Die octavo offerbat Agnum unum pro delicto, & alterum pro expiatione cum tribus decimis similia, & sextario olei. Quòd si erat pauper, offerbat Agnum quidem pro delicto, & duos Turtures, vel duos pullos columbæ; unum pro peccato, & alterum in holocaustum cum dicta similia, & oleo. 4. Sacerdos sanguine Agni tingebat aurem dexteram mundandi, & pollices dexteræ manus, & pedis. 5. Ex oleo aspergebat septies coram Tabernaculo; reliquum olei fundebat super extremum auriculæ dexteræ, & super pollices manus, ac pedes dexteræ, & super caput expandi. Sentum allegoricum, & Tropologicum ipsi quis desiderat horum Rituum, & sacrificiorum, legat Cornelium à Lapide in *d. cap. 14. Levitic.*

Quartò, erant illi, qui dicebantur immundi, immunditia legali; pro quorum expiatione sacrificia erant facienda; mactabantur enim duo turtures, vel duo pulli columbarum; Unus tanquam hostia pro peccato, & alter in holocaustum, ut præscribitur in libro *Levitic. cap. 15.* Quare hic est notandum, duplicem fuisse immunditiam Hebræorum; Una erat peccatum, quia præcepto Dei vetiti, & talis erat, comedere carnes immundas, sanguinem, adipem, morticinum, vel laniatum à bestis; nec non tangere morticina immundorum, & reptilia. Cornelius à Lapide *d. cap. 15. Levitic. Vers. 25.* Altera immunditia non erat vetita, sed solum indicata; & hæc non erat peccatum, sed in ducebatur tantùm quendam irregularitatem legalem; quæ quis prohibebatur ingredi Sanctuarium ante expiationem, & talis erat, tangere leprosum, mortuum, feminisum, nec non patilepram, fluxum feminis, & menstrua in feminis.

Itaque Vit patiens fluxum feminis erat immundus, & si sanitatem consecutus fuisset, ad legalem sui expiationem debebat lavare se, & vestes, & die octavo offerre duos turtures, vel duos pullos columbæ; unus quorum immolabatur hostia pro peccato, alter in holocaustum; ut in *citat. cap. 15. Levitic. Vers. 15. & 16.* & ibi Cornelius à Lapide, qui *Vers. 2.* bene advertit, quòd fluxus feminis est duplex, vel continuus, vel accidentarius; primus vocatur morbus Gonorrhææ, & oritur vel ex debilitate naturæ, & potentia retentiva, ut docet Galenus de *locis affectis lib. 6.* vel ex morbo Gallico, ut astruit Zacchias in *Q. Medico. legal. tom. 1. lib. 7. tit. 3. q. 5. num. 4.* Alter fluxus accidentarius obvenit vel ob imaginationem turpem, vel ob feminis abundantiam, vel ob cibos calidæ qualitatis, præcipuè cum aromatibus comestis; à quibus, ut plurimum causantur pollutiones; quæ quando sint peccatum mortale optimè explicat *Leffius de Just. & Jure lib. 4. cap. 4. Cæterum Gonorrhæa est duplex; una simplex, alia violenta, & contagiosa, & conjux, qui hac laborat, non potest petere, neque reddere debitum absque gravi culpa, ad tradita per eundem Zacchiam in *d. Q. Medico. lib. 7. tit. 3. q. 5. num. 5.* ubi, Sanchez de *Matrimon. disp. 24. num. 19.* contrarium docentem, ait, intelligendum esse de Gonorrhæa simplici.*

Quintò inter immundos reputabatur etiam Mulier menstrua, quæ ad se expandiam egebat Sacrificio Missæ.

Menstrua autem mulierum sunt profluvium, & purgatio frigidi, & indigesti humoris, quem natura quasi noxium expellit, & dicta sunt menstrua, quòd quolibet mense soleant accidere mulieribus, quæ ejus ætatis sunt, ut possint concipere. Non est autem ignorandum, quòd mulieres Hebrææ fiebant immundæ quadrupliciter. 1. Ob copulam carnalem cum viro. 2. Ob menstrua ordinaria singulis mensibus. 3. Ob fluxum sanguinis ob hæmorrhoides, & 4. Ob purgamenta Puerperii. In primo, & secundo casu expurgabantur ab illa immunditia, lavando corpus suum, quòd etiam tenebatur facere Vir, qui cum muliere coierat; ut legitur in *d. cap. 15. Levitic. Vers. 17.* ibi: *Vir, de quo egredietur semen coitus, lavabit aqua omne corpus suum, & immundus erit usque ad vesperum:* Et *vers. 19.* ibi: *Mulier, cum qua coierit, lavabitur aqua, & immunda erit usque ad vesperum:* ubi Tirinus observat, ordinatas fuisse has corporis fluvialia purificationes, ut tedium, seu difficultas lavandis corpora, cohiberet frequentiam actus matrimonialis, & ad decentem continentiam petulantiores reduceret. In tertio casu si mulier facta esset hæmorrhœica, patiens continuum fluxum sanguinis; qualis illa, de qua S. Marcus in *Evangel. cap. 5. vers. 26.* quondamque stetit sanguis, & fluere cessasset, post dies octo debebat offerre, pro sui expiatione Sacerdoti duos turtures, aut duos pullos columbarum, qui unum litabat pro peccato, alterum in holocaustum, ut in *d. cap. 15. Levit. vers. 31.* & hoc erat sacrificium pro muliere hæmorrhœica.

Quòd si quis querat, an illa sanata ab hoc fluxu sanguinis per contactum fimbriæ Vestimenti Redemptoris, ut in *d. cap. 5. Marc. vers. 6.* fuerit S. Martha soror Lazari? Respondet Tirinus in *Comment. ibidem*, negativè, sed fuisse Mulierem ex Cæsarea Philippi oriundam; quæ in eadem Urbe ita turpe postea Christo erexit hujus beneficii indicem; sub qua nascentes herbæ, simul ac statum fimbriam attingissent, morbis quibuslibet medebantur. Quæ ita dejecta Julianus Apostata sum substituit, quæ mox fulmine icta est, teste Sozomeno, & Theophylacto.

In casu verò purgamentorum puerperii, si mulier peperisset masculum, erant immunda septem diebus, si femellam quatuordecim, & in partu masculino die 40. in feminino verò die 80. tenebatur accedere ad Templum ad se purificandam prævio Sacrificio, ad quem effectum offerbat Agnum in holocaustum, & columbæ pullum, vel turturum pro peccato; quòd si pauper fuisset, offerbat turturum unum, & pullum columbæ in holocaustum, & alterum pro peccato; ut statuitur in *Levitic. cap. 12.*

Tria autem scitu dignissima hic veniunt notanda: Unum, quòd DEIPARA, quia sine suctu pro semine peperit, non comprehendebatur dicta lege purificationis; numquam enim fuit immunda, & in partu suo sacratissimo nulla passæ est menstrua, quæ purgamenta; nullas habuit secundinas, nullasve fordes, quæ partum vulgarem consecui solent, ut ex pluribus SS. Patribus probat Canisius relatus à Tirino *d. cap. 12. Levit. 2.* Alterum est, quòd licet inter Christianos dicta Lex non vigeat, quia cum aliis cæremoniis antiqui testamenti est abolita, & postest Christianæ mulieres sine peccato statim à partu gratias acturæ ingredi Templum; ut *cap. Unic. de Purificat. post partum:* tamen ob venerationem Sacrorum, & ad imitationem purissimæ Virginis solent 40. diebus ab ingressu Ecclesie abstinere, ut scribit ibidem Tirinus. Dum verò accedunt ad Ecclesiam ad Purificationem obtinendam, eam non à Regularibus esse præstandam, sed à proprio Parocho pluribus iuribus, & rationibus tueri Pignatellus *tom. 5. consulti. 76.* ubi sic decimum esse testatur à Sacra Congregatione

H 3 tione



tionem Concilii in Antwerpen die 18. Novembris 1662. cessante legitima præscriptione contraria. Tertium est, magnam esse differentiam inter purgamenta puerperii, & illa mensis ordinaria; in his enim sanguis purus, nisi mala valetudo mulieris obitet, expurgatur. At in puerperio cum sanguine ipso ante, vel etiam deinceps aqua effluit, & copiosa est ipsius Sanguinis fluxio cum multis impuritatibus, & durat in partu masculi 30. dies; in feminino ultra 40. ut ex Hippocrate libr. 1. de Natur. puer. num. 11. & Arist. 7. de Hist. Animal. cap. 3. demonstrat Zacchias in d. Q. Medicoleg. lib. 1. tit. 3. quest. 4. num. 56. & libr. 10. conf. 69. numer. 2.

Sed utrum mulieres tempore menstruum possint licite Sacram Eucharistiam suscipere? differit idem Pignatellus tom. 9. consult. 94. n. 35. & 36. ubi antiquos iidem menstruas mulieribus non licuisse probat ex Epitola B. Dionysii Alexandrini ad Basilidem, & ex Novella Leonis sapientis Imperatoris. Nichilominus asserit esse Judaicam superstitionem, quia sola copula num. 57. carnalis peccaminosa impedit S. Eucharistiam sumptionem.

Sexto, inter Hebræos erat Sacrificium Zelotypiæ, de quo in libro Numeror. cap. 5. Marito enim suspicante de pudicitia Uxor, deficientibus testibus, dicebatur Uxor ad Sacerdotem in atrio Sancto, ubi instituebatur Sacrificium farinæ hordeaceæ sine oleo, & sine thure; & descriptis meditationibus per Sacerdotem in membrana, eaque injecta in aquam, coquebatur mulier ipsam aquam bibere; ex cuius potu, si innocens esset, nullum detrimentum, si verò rea, statim intumescerebat ejus venter, & femur putrescebat; ut ibi textus Sacri insinuat; testanturque Interpretes Cornelius à Lapide, Tirinus, Bonfrerius, & alii Doctores in d. capit. 5. Deum se obligasse ad hanc miraculosam punitionem, ne mariti Zelotypi occiderent uxores. In Ecclesia Catholica olim introducta erat purgatio ab hac suspitione Zelotypiæ per contretationem ferri candentis; quam facere non recusat vit S. Chune Gundis calumniata apud S. Henricum Imperatorem maritum suum, et si Virgo, & omnium virtutum gloria eluceret. Porrò hanc probationem tamquam juri canonico contrariam Summi Pontifices proscrisperunt; ut tot. tit. Decretal. De Purgatione Canonica. Factum S. Chune Gundis narrat Eminent. Cardin. Baronius in Annalib. Eccles. ad Annum 1024. num. 9.

Septimo, inter Sacrificia reponendum venit illud Vaccæ Rufæ, quæ immolabatur à Sacerdote extra castra tempore Tabernaculi, & extra Urbem Jerusalem tempore ædificati Templi; ad hoc ut ejusdem Vaccæ cineres impositi in aquam, eam lustralem facerent, & virtutem darent expiandi Hebræos ab aliquibus immunditiis legalibus, ut præscribitur in libr. Numeror. cap. 19. ubi Abulensis, Lytanus, Cornelius à Lapide, Tirinus, Bonfrerius, & alii Scripturistæ, qui plura dubia examinant; deducunt in hac caeremoniali expiatione, processisse in Ecclesia Catholica usum Aquæ lustralis, seu benedictæ, habentis vim remittendi peccata venialia; ut nos differimus in Decisionibus Anni 1687. ad Casum primum Mensis Decembris.

Ultimo notanda venit immolatio, seu mactatio Vitulæ in eventum alicujus homicidii occulti ad expiationem habitantium, in quorum districtu sanguis humanus fuisset effusus, ut ordinatum erat in libro Deuteronom. cap. 21. ubi Cornelius à Lapide, Tirinus, & alii Expositores; qui caeremonias præscriptas examinant in mactatione illius Vitulæ, & illationem faciunt ad eam questionem, An sit miraculosus fluxus sanguinis è vulneribus hominis occisi, si homicida in ejus præsentia compareat? Et an Judex ex hoc indicio possit procedere con-

tra reum ad torturam, & ad condemnationem? Has quaestiones ego examinaui in meis Discursibus de Prima Mundi ætate, impressis per D. Andream Poletum Bibliopolum Venetiis anno 1697. ut videre poterit curiosus Lector, in Disc. XII. ad intercessionem Abelis; multa enim ibidem exempla congesti, & opinionem Farinacii celeberrimi Criminalitæ in quest. 52. num. 154. nec non Antonii Theauri in Decif. CLXIII. atque Carenz part. 2. tit. 12. §. 22. pro Judicum instructione adduxi. Quæ dicta sint pro explanatione omnium Sacrificiorum Legis Mosaicæ, ex quorum multitudine, atque Rituum, & caeremoniarum varietate, & difficultate, manifestè apparet, quàm suave sit jugum Evangelicæ Legis, in qua Sacerdotes non tenentur, nisi ad horas Canonicas, & ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium devotè celebrandum, ad cujus explanationem in sequentibus calamus se converteret.

Corollarii loco non est silentio obvolvendum, quòd Hebræi Sacrificia pro defunctis consuebant litare, juxta illud clarissimum Scripturæ Sacræ testimonium, 2. Machab. 12. 43. Vir fortissimus Judas collatione facta duodecim millia drachmas argenti misit Jerusalem offerri pro peccatis mortuorum sacrificium. De quo differit Emin. Cardin. Bellarminus libr. 1. de Purgator. cap. 2. & Tirinus in d. cap. 12. libr. 2. Machab. ubi ad refellendos hæreticos id negantes, allegat plures Auctores tum antiquos, tum modernos, qui ex Ritibus Judaicis, & aliis argumentis insolubilibus hanc veritatem confirmant.

DECISIO XXVIII. ARGUMENTUM.

Quodnam sit verum, & proprium Sacrificium in Lege gratiæ? Eucharistia non solum est Sacramentum, sed etiam Sacrificium CHRISTUS obtulit Corpus, & Sanguinem suum in cæna sub speciebus Panis, & Vini. Utrum etiam seipsum communicaverit? Vocis Missæ multiplex significatio. Oblatio Corporis, & Sanguinis CHRISTI sub speciebus Panis, & Vini in Missa est Sacrificium verum, & proprium in Lege gratiæ. Hæc veritas per annos 500. à nemine fuit impugnata, nisi à Luthero, Calvino, & aliis hæreticis. Rationes, & fundamenta veritatis Sacrificii Missæ. Apostoli, & ejus Successores semper Missam celebrantur. Hæreticorum objectiones, & solutiones earum. Sacrificium Crucis est sufficientissimum pro salute omnium; si tamen applicetur per media à Christo instituta; inter quæ unum est Sacrificium Missæ.

SUMMARIUM.

- 1. Christus Dominus vita sua durante duo obtulit Sacrificia, Invenit unum in Cæna; Cruentum alterum in Cruce.
2. Eucharistia non solum fuit à Christo instituta ut Sacramentum, sed etiam ut Sacrificium.
3. Christum litasse Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus panis, & vini est de fide.
4. Apostoli præceptum habuerunt de Sacrificio Eucharistico faciendum.
5. Christus post consecrationem, & oblationem Eucharistia in cæna nihil seipsum communicaverit cum ipsis.
6. Missa quare sic nominetur Sacrificium Eucharisticum? Significationes hujus nominis Missa.
7. Sacrificium verum, & proprium in Lege gratiæ est oblatio Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus consecratis panis, & vini.
8. Lutherus, Calovus, & alii hæretici impugnant Eucharistici Sacrificii veritatem, quam totus

- totus Orbis Christianus per annos 1500. semper professus est.
9. Christus in Cæna quibus verbis præcepit Sacrificium Eucharisticum?
10. Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech propagatur in Sacerdotibus ejus ministris offerentibus Eucharistiam.
11. Respublica quælibet habet tria, Legem, Sacrificium, & Sacerdotes.
12. Oblatio Eucharistica obtinet omnia requisita veri Sacrificii.
13. S. Petrus Apostolus primus omnium Missam celebravit.
14. S. Andreas Apostolus, S. Jacobus, & alii Missam celebrabant.
15. Ministrare Domino idem est, ac Sacrificare.
16. Planeta, qua Missam celebrabat Sanctus Petrus Apostolus, servatur Parisiis.
17. Penula Sancti Pauli Apostoli quid esset?
18. Missa ab Apostolorum tempore semper est celebrata, tamquam verum Sacrificium.
19. SS. Patres ab initio Ecclesiæ, & successores semper professi sunt, Missam esse verum, & proprium Sacrificium, in quo offertur Deo Corpus, & Sanguis JESU CHRISTI Filii ejus.
20. Canon Missæ expressè continet eam esse verum Sacrificium.
21. Canon Missæ à quibus sit compositus?
22. Figura, quibus in veteri testamento denotabatur Sacrificium Missæ.
23. Sacrificium Agni Paschalis cur non offerretur à Sacerdotibus; sed à capitibus domorum? & 24.
24. Hæreticorum objectiones contra Sacrificium Missæ.
25. Sacerdotes in Lege gratiæ non sunt successores, sed Ministri Christi.
26. Adorare aliquando in Scriptura idem est ac sacrificare.
27. Missa quomodo sit Sacrificium in spiritu, & veritate?
28. Sacrificium Missæ an deroget Sacrificio Crucis?
29. Sacrificium Crucis habet vim infinitam ad salvandum.
30. Missa est repetitio Sacrificii oblatis in Cruce.
31. Merita Passionis Christi sunt nobis applicanda per media ab ipso instituta.
32. Peccati humani generis gradus duo, & qui?
33. Passio Christi sufficiens est pro salvandis omnibus hominibus, sed opus est, ut ipsa nobis applicetur per fidem, Sacramenta, & Sacrificium Missæ.
34. Sacrificium Crucis dat nobis dominium meritorum Christi, Sacrificium Missæ dat possessionem, & usum.
35. Titulus non sufficit ad usum rei, sed requiritur etiam possessio.
36. Missa est clavus ærarii meritum Christi.
37. Oblatio alia quomodò non requiritur pro peccato?
38. Verba Christi in Cruce consummatum est, ad quid referantur?
39. Cultus supremus præstatur Deo per Sacrificium Missæ.

ideoque in præsentii Decisione breviter venit demonstrandum, Quodnam extet hæc nostris temporibus verum, & proprium Sacrificium?

Pro intelligentia dicendorum duo sunt præmittenda, & prænotanda. Unum est, quòd tergitimus supra Decif. IV. num. 25. Redemptorem nostrum Christum JESUM, tamquam Summum Sacerdotem, ac Pontificem duo, sua vita durante, celebrasse Sacrificia, incruentum primum; alterum cruentum. Hoc fuit illud, quod feria sexta Parasceves obtulit de se ipso in Golgotha, idest Calvariæ loco, super ara Crucis pro expiatione iniquitatum hominum; de quo cruento Sacrificio locuti sumus Decif. XI. num. 8. & Decif. XIII. num. 38. in hoc eodem tractatu, & de eodem Apostolus scribens ad Ephesios cap. 15. vers. 2. ait: Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis Oblationem, & Hostiam in odorem suavitatis, & de hoc Sacrificio nulla est controversia apud fideles, ut demonstrat Emin. Cardin. de Lauræa de Incarnatione disp. 22. art. 15. à num. 81. & seqq. ubi Sacrorum Patrum cumulat testimonia.

Aliud Sacrificium, quod Christus fecit, & à Sacerdotibus in Ecclesia faciendum instituit, fuit incruentum per consecrationem Panis, & Vini, & oblationem sui Corporis, & Sanguinis, sub speciebus Panis, & Vini post consecrationem contentorum. Siquidem ipse Redemptor in ultima cæna cum Discipulis suis, vespere diei decimaquartæ primi Mensis, ut probavimus in Decisionibus de Eucharistia, Decifio XI. num. 15. non solum instituit divinum hoc Sacramentum; sed simul illud obtulit in Sacrificium æterno Patri, adimplens id, quod de se tanto tempore antè prædictum fuerat ab eodem æterno Patre per os David: Juravit Dominus, & non paventibus eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Psalm. 109. vers. 4. Cum enim fuisset Melchisedech Rex Salem Sacerdos Altissimi solitus offerre Sacrificium Panis, & Vini; ut late differimus supra Decif. XVIII. Et præfigurasset Christum venturum pluribus signis, ibidem sub num. 12. per nos collectis; ut figuræ responderet Veritas, in hac ultima cæna ipse Dei Filius non solum consecravit, sed etiam litavit Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus Panis, & Vini; ut pluribus Sanctorum Patrum testimoniis comprobatur Eminentiis. Cardinalis de Lauræa d. tract. de Incarnatione disp. 22. art. 5. à num. 89. & seqq. & de fide firmat Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 1. his verbis: Is igitur Deus, & Dominus noster, est semel seipsum in ara Crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illi Redemptionem operaretur; quia tamen per mortem Sacerdotum ejus extinguendum non erat: in cæna novissima, &c. Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus, & Sanguinem suum, sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit. Igitur Christus Dominus in eadem cæna non solum Eucharistiam instituit; sed ipsam etiam litavit æterno Patri; deinde à Apostolis eandem consecrandi potestatem tribuit; ac Sacrificandi iustionem fecit; atque eorum successoribus Sacerdotibus, dicens: Hoc facite in meam commemorationem, ut profequitur Concil. Trid. d. sess. 22. cap. 1. & docent Suarez tom. 3. in 3. p. D. Thomæ disp. 73. sect. 2. Collegium Salmanticense tom. 10. De Incarnatione tract. 2. disp. 31. dub. 3. num. 31. Et tom. 11. De Sacramentis in genere tract. 5. cap. 1. n. 8. & Gonet tom. 5. De Sacrificio Missæ disp. 11. à num. 14. & seqq.

Utrum autem Salvator post consecrationem Eucharistiæ, & ejusdem oblationem, ac Sacrificium, seipsum communicaverit, sumendo species Sacramentales Panis, & Vini; prout illas etiam Apostolis sumendas tradidit? communis est opinio affirmativa, quam tenent S. Thomas in 3. part. quest. 81. art. 1.